

hernach größten Theils ans Stifft kommen sind. (u) Ao. 994 hat dies  
set

(u) *In nomine sanctæ & individua Trinitatis. Otto divina clementia Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet atq; futuris, quomodo nos ob petitionem & interventum dilectæ genetricis nostræ Theophanæ videlicet imperatricis augustæ, cara sorori nostræ Sophia Sanctimoniali de nostra proprietate dedimus triginta mansos in villis Motlevingerod, Fonfazi & Hudilvingerod dictis, sylvis, & in pago Lisgewe vocato, ac Comitatu Sigeberti Comitis jacentes, & alios triginta mansos in villis Peranhuson, Luchingeshuson, Ethelleceshuson, Lengleron, Rodereshuson, & Hatticheshuson nominatis sitos, & in pago Lochne nuncupato atq; comitatu Herimanni Comitis jacentes, atq; eosdem mansos numero sexaginta cum omnibus utensilibus ad eos rite pertinentibus in mancipiis utriusq; sexus, arcis, edificiis, terris, cultis & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, sylvis, venationibus, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & redditibus, questis & inquirendis, cunctisq; aliis appendiciis, quæ adhuc dici aliquo modo aut nominari possunt, ad integrum sibi in proprietatem tradidimus. Ea videlicet ratione, ut eadem jam dicta soror nostra Sophia Sanctimonialis de præfata proprietate sibi à nobis tradita liberam de hinc faciendi, quod velit, potestatem habeat, sive eam tradere, vel commutare, aut vendere seu magis sibi retinere voluerit. Et ut hæc nostræ donationis traditio presentis ac futuro tempore firma ac inconvulsa permaneat, hoc nostræ dominationis præceptum inde conscriptum, sigilli nostri impressione signare jussimus, manuq; propria, ut infra videtur, corroboravimus.*

Signum Domini Ottonis  
goriosissimi Regis.

(LS.)

Hildibaldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi.

*Data IV. Id. Aug. Anno Dominicæ Incarn. DCCCCXC. Ind. 3. Anno autem tertii Ottonis regnantis septimo. Actum Sassenburga feliciter amen.*